

petrant mala, non tamen eos defatigari vel tediari convenit ^{a)}, quibus dicitur ¹⁾: *Qui perseveraverit* ^{b)} *usque in finem, hic salvus erit*. Gregorius quoque dicit ²⁾: *Cum malorum perversitas crescit, non solum frangi predicatio* ^{c)} *non debet, set* ^{d)} *etiam augeri*.

Eutitius. Si Deum contra inimicos rogaveris, nonne potius hoc dicitur imprecatio ^{e)}, quam predicatio? Dic ergo, si in ^{f)} inimicos ^{f)} imprecationes ^{g)} vel maledictiones fieri oportet, cum Dominus dicat ³⁾: *Orate pro persequentibus et calumpniantibus* ^{h)} *vos*.

Theophilus. Postquam assidua predicatione ⁱ⁾ mixta ^{k)} simul oratione fideli duritia improborum ^{l)} non emollescit et incorrigibilis iudicatur pravorum nequitia, quid amplius faciendum est, nisi ut oretur omnipotens agricola, quatinus ^{m)} de vinea sua sarmentum tollat, lolium de messe et igni perpetuo tradat, ut his evulsis vinea et messis uberius fructum ferant. Certe Petrus Simonem ⁿ⁾ magum *in felle amaritudinis et obligatione iniquitatis* videns esse ⁴⁾, eum ^{o)} iaculo aeternae maledictionis confodit ^{p)} dicens ⁵⁾: *Pecunia tua tecum sit in perditione* ^{q)}, *quoniam donum Dei existimasti pecunia* ^{r)} *possidere* ^{s)}. Paulus quoque *vas electionis* ⁶⁾ Eliman ^{t)} magum tali invectione percussit dicens ⁷⁾: *O plene omni dolo et omni fallacia* ^{u)}, *veritatis inimice, fili diaboli, non desinis subvertere vias Domini rectas et ecce erit manus Domini super te et non videbis solem usque ad tempus*. Et ut ostenderetur non esse hoc motus hominis irascentis, sed sententia interni iudicis, continuo cecidit *super eum caligo et tenebrae et querebat qui ei manum daret*. De Alexandro quoque idem Paulus ad Timotheum ⁸⁾: *Alexander, inquit* ^{v)}, *erarius multa mala mihi ostendit; reddat ei Dominus se-*

^{a)} cum venit A. ^{b)} aus perseveraverarit korr. A. ^{c)} aus praedicamus korr. A. ^{d)} so A. ^{e)} imprecatio BC. ^{f)} durch Überschreiben von ni aus inimicos korr. A; inimicis B. ^{g)} imprecationes BC. ^{h)} calumpniantibus C. ⁱ⁾ Kürzungsstrich über e getilgt A. ^{k)} aus mysta korr. A. ^{l)} improborum BC. ^{m)} quatenus C. ⁿ⁾ Symonem B. ^{o)} über der Zeile nachgetragen A; fehlt B. ^{p)} confodi A. ^{q)} perditione BC. ^{r)} Kürzungszeichen über a getilgt A; pecunia BC. ^{s)} possideri B (u. Vulg.). ^{t)} Elimam C. ^{u)} fallacia C. ^{v)} inquit BC.

¹⁾ Matth. 10, 22; 24, 13 (D).

²⁾ Homil. in Evangel. lib. I, hom. 18, c. 2, Opp. 1 col. 1508 (Migne, PL. 76, 1151) (D).

³⁾ Matth. 5, 44 (D).

⁴⁾ Cf. Act. 8, 23.

⁵⁾ Act. 8, 20 (D).

⁶⁾ Act. 9, 15 (D).

⁷⁾ Act. 13, 10. 11 (D).

⁸⁾ 2. Tim. 4, 14. 15 (D).